

« non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simulatur. Abscondita enim mea homo non poterit deprehendere. » Ex hac ponderatione et trutina finis, affectus et intentionis, qua operans movetur, quam Deus facit, consequitur ut aliquando minora majorem, majora minorem habeant mercedem. Nam ut scribit Victor Antiochenus super S. Marcum, xii, 43 : « Neque Deus tam munera magnitudinem considerat, quam animi alacritatem et magnitudinem ponderat. » S. Ambrosius in libro de *Viduis* pariter inquit : « Uberior est mummis e parvo quam thesaurus ex maximo, quia non quantum datur, sed quantum resideat expenditur; non ergo quod fastidio expnas, sed quantum devotione conferas, aestimandum est. » S. Gregorius de Redemptore nato ad propositum nostrum ita scribit : « Celi cives ostensi sunt qui clamarent : *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Ante Dei namque oculos, nunquam est vacua manus a munere, si fuerit area cordis repleta bona voluntate. » Prima et infallibilis veritas hanc nobis stipulatam facit promissionem, *Matth.*, x, 42 : *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidae tantum, in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam*; quia finem, affectum et intentionem remunerat Deus, qua datur. Unde Glossa dicit : « Deum magis ad piam affectum dantis respicere, quam ad quantitatem rei exhibitæ. »

**C.** — Excessus de quo loquebantur cum Jesu, Moyses et Elias, mors erit crudelissima quam passurus erat Dominus in Jerusalem. Si autem mors illa et redemptio tam fuerit copiosa et cum excessu pro peccatis nostris, quid igitur pro illis a nobis petitur? Multum profecto pro nostra parte; quando quidem enim omnis creatura Deo gratitudinem exhibere obligata est, multo magis nos ad hoc tributum solvendum obligamur. Beatissima Virgo que glorioso hoc titulo, *Sedes sapientia*, honoratur, dum se ad maternitatem Dei sublimatam esse vidit, linguam suam ad Deo gratias agendas modo quodam inexplicabili laxavit dicens : *Fecit mihi magna qui potens est*. Et tamen Didacus Stella, in persona ipsius, inquit : « Multitudo beneficiorum Dei impedit narrationem. Quis, obscuro, adeo ingenio et dexteritate pollebit dicendi, ut narrare possit, quanta fecerit mihi Dominus? Quæ sunt ista. Præ ipsorum magnitudine dicere non valeo. » Si itaque ipsi Deiparæ impossibile videbatur beneficiis divinis grato animo correspondere, quanto minus id humana præstabit imbecillitas et ignorantia? Id quod S. Bernardus in sermone de *septem misericordiis*, considerans, ait : « Onus sentio, suavis quidem, sed utique, multo majus; sic enim onerat me miserationibus suis Deus, sic concludit, sic obruit beneficiis suis, ut onus aliud sentire non possit. *Quid enim retribuit Domino pro omnibus*

*quæ retribuit mihi?* Tanta tribuit et tanta retribuit, et tu mihi de alio onere loqueris? Deficit spiritus meus, prorsus deficit in tanta beneficiorum consideratione. »

**d.** — Quid est quod ad hoc mirabile transfigurationis mysterium, singulariter inter tot sanctos Patres Veteris Testamenti, apparerint tantum et convocati sint Moyses et Elias? D. Hieronymus, *lib. II adversus Jovian.*, pulchram suggerit rationem : « Ob jejuniorum, » inquit, « consortia Moysen et Eliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria. » Hi enim eundem jejuniorum numerum cum Jesu observarunt, ideoque qui in observatione jejunii collegæ extiterunt, etiam merito ad consortium et gloriæ suæ evocati participationem. Abstinentia enim et jejunium, media sunt efficacia ad gloriæ possessionem, nec non divinorum mysteriorum percipiendam notitiam. Sanctus Ephrem de jejuniis tractans, illud appellat vehiculum quod iur ad Paradisum : « Jejuniis vehiculum est ad cælum. » S. Chrysostomus, in homelia quadam, ita scribit : « Cur terreno corpore cælum ascendere concupisti? Extenua carnes, ut ad ascensum agilis fias. Equus si multum comedit, non currit; athleta non quod vult comedit, nisi comedisset Israel et impingatus fuisset, non recalcitrasset. » Christus Salvator noster divitem epulonem in inferno sepultum esse dicit : *Mortuus est dives et sepultus est in inferno*, idque non ob aliam causam, quam quia *epulabatur quotidie splendide*; at vero Lazarus mendicus, cui ne quidem de micis a mensa divitis decidentibus, famem suam pellere concedebatur, ubinam mansit, aut quo devenit? *Factum est autem ut moreretur mendicus et portaretur ab Angelis in sinum Abraham*. Unde S. Hieronymus ait : « Divitem purpuratum propter epulas narrat esse in tartaro et Lazarum pauperem ob inedia dicit esse in sinu Abraham. » De S. Anna Prophetissa, quam S. Lucas, dum quatuor annis octogenaria major esset, Christum videre meruisse scribit. S. Ambrosius ait : « Jejuniis et orationibus in templo die ac nocte serviens, Christum agnovit, quem Joannes abstinentiæ magister et quidam novus terrarum Angelus annuntiavit. » Et ideo S. Augustinus, in sermone quodam ad fratres in Eremito, exclamat, dicens : « O sacrum jejunium, tu divina mysteria pandis, que sapientiæ et prudentiæ sunt, agnoscis. » Notat S. Basilus, quod communiter illi qui aentiori et perspicaciori sunt intellectu præditi, abstinentes pariter esse conspiciantur.

## VERSUS 4.

*Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Elize unum.*

*Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum : Domine bonum est nos hic esse.*

**1.** — S. Anselmus Petrum hoc dixisse asserit, quia gustata cælesti dulcedine, vilescunt infima; ex quo S. Petri pronuntiatio, idem S. Pater, quanti æterna beatitudo æstimanda efficaciter convincit; dicit enim : « Quod si Petrus videns glorificationem humanitatem, tanto afficitur gaudium, in nunquam velut ab hujus intuitu seerni, quid putandum est de his, qui divinitatem merebuntur videre? » Idem quoque argumentum S. Thomas his verbis efformat : « Videns gloriam ita affectus erat, quod nunquam voluisset separari, si Deus voluisset; et quid erit de illis, qui in gloria erunt perfecti? » Lyrans considerat, quod beatitudo essentialis in clara divinitatis visione, ejusque perfecta fruitione consistat; Apostoli autem non sicut S. Paulus in divinitatem, sed in glorificationem Salvatoris humanitatem duntaxat, directe et intuitive respiciebant, et tamen in ejus conspectu fuerunt sic delectati, quod voluissent ibi perpetuo manere. » Beda ait : « O quanta felicitas visionis Deitatis, inter Angelorum choros adesse perpetuo; si tantum transformata Christi humanitas, duorumque societatis Sanctorum, ad punctum visa delectet, et eos ne discedant, etiam obsequio Petrus sistere velit? »

**2.** — S. Petrus jam de facto in universalis Ecclesiæ Pastorem electus, adeoque in tam sublimem dignitatem, quæ major aut sublimior in terra dari nequit, erectus fuerat; qua igitur ratione nunc sublimis conditionis suæ oblitus, in monte quodam et inaccessa quadam solitudine aeris injuriis expositus commemorari præeligit? siquidem ne vel verbo alicujus pro se erigendi tabernaculi mentionem fecit? Lucas Brugensis dicit, quod unicuique duntaxat gloriæ corporis Christi glorificati obtutus et aspectus potens fuerit, qui huic S. Apostolo contemplabile effloret, quidquid mundus in se bonum aut venustum continet : « Guita una immenso illi mari composita, » hoc nomine minimum gloriæ vestigium appellat, « tanta affectu dulcedine, ut rebus aliis omnibus spreto, sola illius fruitio ipsi sufficeret. » Similiter S. Augustinus de S. Petro scribit : « Unam stillam dulcedinis ille gustavit et omnem aliam fastidivit dulcedinem; quid putas dixisset, si magis multitudinem dulcedinis divinitatis gustasset, quam abscondisti timentibus te? » Apostolus, qui solum per modum transeuntis, cælum perlustravit, protestatus est de se dicens : *Omnia arbitror ut stercore*; totus mundus in comparatione Paradisi

positus, ipsi sterquilinum quoddam esse videbatur. S. Augustinus ait : « Tanta est juvenilitas lucis æternæ, ut etiam non liceret amplius in ea manere, quam unius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni hujus vitæ, pleni deliciis et circumfluentia temporalium bonorum recte meritoque contemnerentur. » David propter collatum sibi Israelis sceptrum, ob gloriosæ reportatos varios triumphos, postquam comparata varia regna, post acquisitos opulentissimos mundi thesauros, ad summam felicitatem erectus, nihilominus ultro, citroque fatetur, dicens : *Melior est dies unus in atris tuis super milia*.

**3.** — Sanctuarii pondere trutinanda sunt verba ista : *Bonum est nos hic esse*, id est, per relationem ad beatitudinem. *Bonum*, quia bonum quoddam infinitum possidetur.

**4.** — Porro gloriæ definitio hæc est, quod scilicet sit *status omnium bonorum aggregatione perfectus*. Etenim in dictione *Nos miseriam et viletatem considerare possumus*, a qua ad maximam, qua infinita Dei omnipotentia nobis dare potest, felicitatem transimus : *De stercore erigens pauperem, ut colloct eum cum principibus populi sui*. Cum enim de nobis vere deat, quod *Petro et vermes simus*, non solum Seraphinis, sed ipsimet Deo similes effimur : *Cum apparuerit, similes ei erimus*. In dictione *Hic, celi beatorum amplitudo, opulencia et Majestatis decor et venustas considerari potest*. In verbo *esse*, quod tempus præsens indicat, gaudiorum, quibus beati in cælis perfuruntur, permanentia, stabilitas et interminabilis æternitas innititur.

**5.** — Lucas Brugensis, Petrum hujus gloriosi spectaculi visionem et fruitionem nunquam deinceps de monte illo, inter mundi strepitus et tumultus descendere decrevisse dicit. Ideoque petit, « ut liceat hic sedem figere et perpetuo manere, perpetua tui visionis gloriæ tuæ, nec reverti ad mundum, tumultibus, timoribus, miseris plebem. »

**6.** — Jansenius inter eam gloriam, quæ hodie nobis in lege Evangelica exhibetur et inter eam, quæ in lege scripta aliquando exhibita fuit, ingenitum notat differentiam; in lege elementis scripta, *Eccl.*, xx, 29, populus Israel, metu et pavore nimio perentulus, Moysen rogabat, ut ipse illos, non vero Deus, gloria amictus, immediate et directe alloqueretur, adducebatque rationem : *Ne forte moriamur; imo ne quidem vultum Moysi, ex habitu cum Deo colloquio, præfulgidum et resplendentem intueri poterat; at vero hic in monte Thabor, « Elsi nullo pavore ob spectaculi novitatem correpti essent, tamen tantum abest, ut conspectam gloriam refugiant, ut ejus perpetui cupiant esse spectatores; in Evangelio enim Deus so magis amandum exhibet, quam metuendum. »*

**7.** — Dionysius Carthusianus, Petrum hæc verba

dicentem, tanquam corporalem dilectissimi Magistri sui salutem avidissime cupientem, excusare et justificare nititur, dum ait: « Forte hoc dicit Petrus et etiam ideo, quia videbat, quomodo Scribæ et « Pharisei Christo insidiarentur, ideo optavit in « hoc loco tuto manere. »

8. — S. Thomas dicit, quod, quia S. Petrus Christo, mortem suam prædicenti, sese opponens, ab eodem Magistro suo graviter reprehensus fuit, ideo dum Moyses et Elias in hoc loco comparantur, de Christi Passione imminenti loquerentur, « Petrus « non potuit se opponere, ideo cogitavit, quod si « ibi maneret, evaderet mortem, ideo ne cito rece- « derent, dixit: *Faciamus hic tria tabernacula, etc.* » Sperabat, quod hi a Christo nequaquam ita cito recessuri, eique mortem dissuasuri essent. Hugo Cardinalis ait: « Non audebat manifeste dicere: « Propitius esto tibi, quia redargutus fuerat super « hoc, etc. » Theophylactus Petrum, hunc in modum intra seipsum discursisse sibi persuadet; in hoc monte utique a Judæis securi esse poterimus, quo minus in Magistrum et Dominum nostrum manus suas concipiant; hic etenim Eliam nobis præsentem habemus; qui super temerarios Domini nostri aggressores ignem coelitus descendere faciet; præsto etiam hic nobis est Moyses, dux adeo expertus et generosus, qui tot exercituum stragem instituit? At vero Evangelista subjungit: « *Hæc « autem dicebat, nesciens quid loqueretur*, ipse enim « putabat malum et difficillimum esse, crucem et « propter hoc illam cupiens vitari; hæc dicebat; « Christus autem sciebat crucifigi. »

Si vis, *faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum et Eliæ unum.*

9. — Tertullianus, de laud. jejun., occasione, a Moysse et Eliæ quadraginta diebus jejunantibus, desumpta, in laudem jejunii ita scribit: « Merito igitur etiam in carne se Dominus Moysi ostendit « collegæ jejuniorum suorum, non minus et Eliæ; » et ad hæc a Petro, in mente concepta tabernacula alludens, ita scribere pergit: « Tanta est circum- « scripti victus prerogativa, ut Deum præset homini « contubernalem, parem revera pari. » Paulus de Palatio verum esse sciens, quod Christus dixit: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*, Petri tanquam Pastoris universalis charitatem valde admiratur, qui omnes omnino homines sub hisce tribus tabernaculis receptos et comprehensos esse desiderabat: « Curat et optat omnes admitti in regnum, « sive Judæos, sive gentiles; ideo dicit: *Tibi cum « Christianis unum, Moysi cum Judæis unum, Eliæ « cum gentibus per eum convertendis unum.* »

10. — Cajetanus reflectit se ad textum S. Lucae, ix, 33, dicentis: *Petrum est, cum discederet ab illo;* ideoque Petrum præcisè hæc verba dixisse existimat, quando Moyses et Eliæ jamjam disces-

suri erant: « Præoccupans discessum, ut impediret « licentiam. »

11. — Verum enimvero cur S. Petrus trium duntaxat tabernaculorum mentionem facit, cum tamen in monte Thabor sex viri diversi congregati fuerint? Dionysius Carthusianus ait: « Forte ideo « id dixit, quia putavit in illis tribus tabernaculis « se et duos discipulos suos recipi posse ac « commemorari, sic tamen, ut ipse esset in taberna- « culo Magistri sui charissimi. » Nonnulli in Petro admirantur alienum a cunctis terrenis animum, utpote qui in monte isto nudus et discooperatus, sub dio stare et subsistere minime curabat; ac proinde dicit, illum in urbe Romana, utpote præcipua et unica suæ Pontificiæ potestatis sede, non tantum tribus tabernaculis, sed sumptuosissimis templis in ejus honorem erectis, fuisse remuneratum, nimirum Basilica S. Petri in Vaticano, S. Petri ad Vincula et S. Petri in Monte aureo.

12. — Valde considerabilia sunt verba illa, quæ S. Lucas immediate post hæc a Petro factam propositionem, ex peculiari Spiritus Sancti instinctu, subjungit: *Nesciens quid diceret*; quorum equidem multæ a nobis examinandæ sunt rationes. Interlinearis dicit: « Petrus nesciebat quid diceret, quia « oblitus erat regnum non in terra, sed in celo « esse promissum nec mortali carne circumdatos « posse intrare. » S. Thomas Petrum ex primis verbis laudat, nimirum quibus dicit: *Si vis, faciamus, etc.* « Quia voluntatem nostram debemus sub- « mittere voluntati divinis: *Fiat voluntas tua;* « unde in isto bene dixit Petrus, in alio vero male, « quia credidit, quod gloria sine morte possit ha- « beri. »

13. — Rabanus errorem Petri in eo præcipue constituisse dicit, quod in eo loco tabernacula desideravit, ubi nulla illorum necessitas erat, siquidem, ut S. Bernardus optime advertit: *Tuta habitatio Paradisus*, tabernacula etenim eo præcipue fine construuntur, ut incolam a temporum teantur injuriis; ad hæc Rabanus ait: « Domus necessaria « non erat cum scriptum sit: *Templum non vidi in « eo; Dominus Deus omnipotens templum illius est et « Agnus.* » Glossa pariter dicit: « In coelis taber- « nacula querit, ubi nulla adversitatis aura est « timenda, sed in hoc sciebat quid diceret: *Bonum « est hic esse, quia vere solum hominis bonum est « intrare in gaudium Domini sui.* »

14. — S. Hilarius Christum ad hæc Petri propositionem nihil prorsus respondisse notat; unde clarum et perspicuum est, quod eandem non approbarit; reddiditque rationem: « Nondum enim « ut in hac gloria consideretur, » erat; prius namque opus erat, ut Christus nobis per mortem et sanguinem suum, viam ad supernam Jerusalem rectam perducentem aperiret: *Opportuit pati Christum et ita intrare in gloriam suam.* Luc., xxv, 26.

Unde ex monte Oliveti ascendit in cælum, quia ibidem ponsa ejus Passio exordium sumpsit. S. Leo, *Serm. de transfig.*, ait: « Huic suggestioni Dominus « non respondit, significans non quidem improbum « sed inordinatum esse quod cuperet, ut intellige- « remus, inter tentationes hujus vitæ prius nobis « tolerantiam postulandam esse quam gloriam, quia « tempore patienti non potest felicitas prævenire « regnandi. » Albertus Magnus ait: « Non conside- « raus, non esse manendum in monte, sed ad « redemptionem properandum. » Salmeron discursum suum convertit ad Petrum, eumque monet, prius Christo alium quemdam montem, Calvaria videlicet, conscendendum esse, eique in eodem monte aliam subeundam Transfigurationem, per quam totus videatur lepra conspersus, « ubi non « erit facies lucida et splendens, sed plena sputis et « sanguine, de qua Propheta: *Non est species ei, « neque decor;* » vestes ejus non ad eum modum, quo hæc instar nivis candidæ erunt, sed milites super illas sortes mittent, non hærebit in medio Moysis et Eliæ, sed in duorum latronum medio, suspensus videbitur: « Non aderis illi, quem tu, o « Petre, negabis; et a quo Jacobus et Joannes in « principio fugient; non erit vox Patris, qui dere- « linquet, secundum illud: *Deus, Deus meus, ut quid « dereliquisti me;* non erit nubes lucida, sed tene- « bre super universam terram; ibi ex ferro et « ligno Crucis fabricandum est solidius tabernacu- « lum, quo salutem omnes consequantur. »

15. — Similis quoque error ex voce *Hic* deducitur. Unde S. Bernardus ait: « Quomodo ergo jam « bonum est nos hic esse? Imo vero molestum est, « grave est, periculosum est, nimirum ubi malitiæ « plurimum, sapientiæ modicum invenitur; ubi « omnia lubrica tenebris operta; obsessa laqueis « peccatorum; ubi periclitantur animæ, ubi tantum « vanitas et afflictio spiritus. »

16. — Didacus Stella ad alium quemdam Petri defectum sese reflectit, utpote qui oculum suum in bonum suum particulare, non vero in bonum commune et universale directum habebat, citatque S. Augustinum, ita scribentem: « O Petre, mundus « perit et tu secretum queris? Nescis, Petre, quod « dicas; restant magna peragenda negotia et « magna statuenda Sacramenta; nondum enim « stabilitum est Sacramentum Eucharistiæ, huma- « num genus non redemptum, detinentur animæ « in limbo vineulis constrictæ, expectantes dulcem « libertatem. »

17. — Hugo Cardinalis ait: « Nesciens quid « diceret, quasi ebrus de una gutta vini celestis, « quam hiberat, vel viderat, volebat facere tres « tabernas, in quo invenitur liberalitas et largitas « Paradisi; nesciebat Petrus quid diceret, quia spe- « ciem gloriæ, quam viderat, veram gloriam esti- « mabat. »

18. — Erravit quoque Petrus, inquit Salmeron, quia servos Domino suo pares et æquales facere volebat, Christo pariter et Moysi ac Eliæ uniformia tabernacula assignando. « Ita perique faciunt, qui « alicui Sancto nimium afficiuntur, quem cum « Christo conferre et æquare contendunt. »

19. — S. Antonius de Padua aliam reddidit rationem: « Quia tabernaculum est mansio transmuta- « bilis, firmam autem Deo habitationem facere « oportet, Deo enim compellit æterna. » Ecce tibi hic quoque expressum errorem nostrum, in quem frequenter incidimus; neque enim Christo ad nos divertenti mansionem in tabernaculis, quæ mobilia quædam tentoria sunt, erigere debemus, sed recipiendus a nobis est in loco aliquo permanente, firmo et stabili, ut sit nobiscum: « Per modum « permanentis, non transeuntis. »

20. — Theophylactus vero pro ratione, hæc moralitatem adducit: « Ne dixeris cum Petro: « *Bonum est nos hic esse;* nam oportet semper pro- « ficere et non permanere semper in uno gradu « virtutis et contemplationis, sed ad alias transire. »

21. — Denique si nobis omnino statutum est tria hæc tabernacula erigere, pulchrum nobis id faciendi modum Hugo Cardinalis insinuat, dicens: « Tria tabernacula in nobis facimus, si posse nos- « trum Patri, nosse Filio, velle Spiritui Sancto « præparemus ad habitandum. »

#### Additiones.

a. — Respondens autem Petrus, dixit ad Jesum: *Donans, etc.* Non vacat mysterio, quod Petrus hic non domos, sed tabernacula petiit edificari. Inter tabernacula autem et domum, hoc inest discrimen, quod domus edificatur ut firmæ ac permanentis domicilium; tabernaculum autem seu tentorium more vitorium, ad non diu, sed breviter manendum constructur. Nunc vero cum illa gloria corporis, illeque vestium candor, ut ait D. Hieronymus, « hic quid « corporali sili et tacti subiaceat, » et licet esset quædam particula et prægestus quidam celestis beatitudinis, cum tamen in terra appareret, essetque subjecta oculorum tactui, licet minus caute, tamen bene dixit Petrus: *Faciamus hic tria tabernacula*, tum quia illa gloria apparebat in hoc sæculo, non diu permanens, tum etiam quia in illa diuturna, non diu perjuvandarentur. Oblationes enim in hac mortali vita, multum degustate, quantocius in fastidium vertuntur. De Esther regina legitur quod *circumdata erat gloria sua*, duabusque matronis iniixa coram rege comparuit: *Super unam quidem initebatur, quasi præ deliciis et nimia ténertudine, corpus suum ferre non sustinens; altera autem famularum sequebatur. Dominam defuentia in humum vestimenta sustentans.* Esth., xv, 4, 6. Quisquis hæc reginam modo jam recensito procedentem vidisset, illam utique intrinsecus optime credi-

disset contentam, rebusque secundis et ad animi votum fluentibus, perfruendo felicem, et tamen Spiritus Sanctus, qui scrutatur et renes et corda, immediate subjungit: *Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, et gratis ac nitentibus oculis, tristement celabat animum et nimio terrore contractum.* Tantum igitur abest quod in illa dignitatis majestate posita, hæc regina animo fuerit quieto ac tranquillo, ut etiam cor ejus gelidi ejusdem timoris glacio obreptum et cinctum fuerit.

**b.** — Fieri nequit ut sine admiratione quis legat quod ex speciali impulsu Spiritus Sancti, S. Lucas dicit, dum Beatum Petrum divini Magistri sui admirabilem transfigurationem et gloriam conspexisset, dixissetque: *Pascimus hic tria tabernacula; bonum est nos hic esse;* subdit Evangelista, quod S. Petrus id locutus fuerit, *nesciens quid diceret.* Sed quomodo de S. Petro dici potest quod nescierit quid diceret, quando illum claves scientie et sapientie divinæ habuisse constat, qui proinde e cathedra sua, in finem usque sæculorum universam Ecclesiam de veritatibus fidei erudire et docere debebat? S. Antonius de Padua errorem S. Petri in eo stellis dicit: « Quia tabernaculum est mansio » transmutabilis, firmam autem habitationem Deo « facere oportet, Deo autem competit æterna. » Dicendum igitur quod ideo S. Petrus nesciebat quid diceret, quia quando de gloria Christi agebatur, ipse de tabernaculis construendis sollicitus erat, quæ ex uno loco moventur in alium. Longe aliam in hac materia mentem habebat illa a Deo dilecta anima et prælecta, quæ dicebat: *Tigna domorum nostrarum cedrina; laquearia nostra cyprina.* Cant., v, 16. Tabernacula extemporanea quædam sunt tentoria quæ faciliter et velociter dissolvuntur, cum tamen e contra tentoria et tabernacula cœlestia trabibus imitantur expressis et cedrinis incorruptibilibus, nec linearum corrosio subjectis.

#### VERSUS 5.

*Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.*

*Ecce nubes lucida obumbravit eos.*

**1.** — S. Hieronymus dicit: « Ut, qui carnale e frondibus aut tentoriis querebant tabernaculum, » nubis lucidæ operirentur umbraculo. » Cajetanus nubem, pro Apostolorum refrigerio, demissam fuisse arbitratur: « Temperamentum præstitit discipulis umbra suæ, ne a multitudine lucis splendentis in facie Jesu, sicut solis opprimerentur oculi corporei. » Eiusdem quoque opinionis fuit Carthusianus, dum ait: « Ne oculi eorum claritate corporis Christi omnino repercuterentur et obtunderentur. »

**2.** — Chrysostomus quoque nobis hujus apparentiæ causam inquiri, *Hom. lvi in Matth.*, et respondet: « Sic fere semper Deus videtur. *Psal.* « xvi, 2: *Nubes et caligo in circuitu ejus.* *Psal.* can. « 3: *Qui ponis nubem ascensum tuum.* » Jansenius nubem hanc efformatam fuisse scribit, ad hoc ut per eam æterni Patris denotaretur presentia, idque Solomonis Regis testimonio comprobatur, dicens: *Dominus dixit, ut habitaret in nebula;* magnam vero inter utramque nubem differentiam, his verbis idem Saneles considerat, dicens: « Nubes illa, quæ olim Deus gloriam suam et presentiam declaravit, dicitur fuisse tenebrosa, ut *Exod.*, xii, 9, in datione legis; hæc vero dicitur fuisse lucida, ut intelligamus differentiam veteris legis et novæ, et illam quidem plenam esse umbris, hæc vero ipsam exhibere veritatem. » Theophylactus quoque nubem hanc claram et luminosam fuisse considerat, dum ait: « Transit enim umbra veteris legis et tenebrosa obscuritas, sed nubes lucida venit, » illuxit enim veritas et gratia Domini. »

**3.** — S. Thomas per hanc claritatem, consolationem interpretatur, quam Salvator nobis in gloria sua communicat: « Apparet lucida, quia significat consolationem gloriæ, quia tunc protegentur ab omni æstu. *Apoc.*, xii, 1. *Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* »

**4.** — Abulensis scribit, æterno Patri operæ pretium futurum visum fuisse, si Apostolis per hanc cœlestem vocem, testimonium de Filio suo perhiberet, eo quod *cap.* xvi, 27, antecedenti dixisset: *Filius quidem hominis venturus est in gloria Patris sui et tunc reddet unicuique secundum opera ejus.* Insuper etiam confessionem, quam S. Petrus de ejus filiatione divina edidit, ratificare et confirmare voluit. Unde Lucas Brugensis ait: « Filius Dei vivi, quem nuper confessi estis; hæc est perfectio, hoc culmen gloriæ Jesu, quod Deus agnoscat, » testeturque esse Filium suum, accipiens a Deo « Patre honorem et gloriam voce delapsa ad eum » hujuscemodi, magnifica gloria: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* » Chrysologus nullum, nisi solum Patrem æternum, testimonium hoc edere potuisse affirmat: « Ipse sui « testis Filii, ipse assertor existit: *Hic est Filius meus,* quia alium, qui testimonium diceret, non « habebat. » Verum quidem est, quod Petrus jam asseruerat: *Tu es Christus Filius Dei;* at vero prout idem Filius Dei confitenti Petro declaravit: *Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus;* ac proinde idem Chrysologus subjungit, dicens: « Testem « generatio nescit divina, ipso Filio dicente: *Nemo « novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, « nisi Filius?* »

*Ipsam audite.*

**5.** — Cajetanus rationem reddit, cur hæc verba

super Jordane, dum Christus baptizaretur, audita non fuerint; tunc enim pariter, ut constat: *Ecce vox de calis insonuit, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui;* at vero vox illa tunc non subjuncta: *Ipsam audite,* propter mysterium « tunc enim regeneratio, modo doctrina significatur » et propterea tunc satis fuit testificari, quod esset « Filius, modo oportuit testificari etiam, quod esset « Filius audiendus a mundo, presertim de futuris » in alia vita, quæ Jesus prædicabat, propter quæ « transfiguratio ista patrata est. » Eadem quoque fuit opinio S. Thomæ dicens: « Insinuat eum « datum Doctorem omnium; *ipsam audite,* non « Moysen, non Eliam; nisi secundum quod Christus doceat, vel doctrinam Christi. » Dionysius Carthusianus vim hujus verbi, *Audite,* declarat, dum ait: « *Audite* auribus cordis et corporis, quoniam niam ipse est veritas infallibilis, sapientia in « creata, Magister perfectus, qui ait: *Qui audit « verba mea et credit et qui misit me, habet vitam « æternam.* » Euthymius aliam hujus verbi expositionem adducit: « Huic obedite, » inquit, « huic « credite, si quid aut dixerit, aut fecerit; nam « quidquid dicit et facit, mea voluntate dicit et « facit. » Et quidem id quod Doctoribus Evangelicis, *Matth.*, v, 16, dixerat: *Luceat lux vestra coram hominibus,* de eo adimpletur, quia *cepit facere et docere;* et ideo respondit *facies ejus ut sol.* S. Hieronymus ait: « Ac si aliis verbis diceret: *Rocedant « umbræ legales, et typi Prophetarum, et solum « coruscum lumen Evangelii sequimini.* *Ps.* ii, 6: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, « montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* » Salmeron ait: « *Ipsam audite:* Christus prima « veritas est, quæ nec fallere, nec falli potest. » Nec audiatis Moysen, quia lex Mosaica deinceps locum non habet; neque Eliam, qui nimio zelo ardens, claudit cœlum, et ignem cœlitum descendere facit, « sed Christum Filium audite, qui verba vite « æternæ habet, qui cœlum verbo aperit, qui ignem « Sancti Spiritus in corda vestra descendere facit. »

#### ADDITIO.

**a.** — *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos, etc.* De Christo sub sacramentalibus speciebus, in mysterio altaris, moraliter hunc locum Drogo Hostiensis, *Serm. de Sacram. Dominicæ passionis:* « Quoniam Moyses et Elias, » ait, « tecum apparuerunt in monte, sed nubes obumbravit eos; illis sicut amicis et domesticis, imo domesticis et amicorum tuorum præcipuis, sacramenti tui nubes erat perlicuda, quæ nobis jacentibus et projectis a facie colorum tuorum, valde « subobscura est. » Cum Christus adesset in monte cum Moysæ et Eliæ, venit nubes lucida obumbrans eos. Nubes illa species sacramentales Christum in Eucharistico mysterio occultantes representabat;

quæ specierum nubes justis, ac amicis, ut Moysi et Eliæ est valde perlicuda; Christum enim ibi oculis vivæ fidei ac cœlestibus inspirationibus agnoscent et introspicunt, quæ specierum nubes valde densa est projectis in peccato. Sacramentum enim hoc suas imperit gratias justis ac timoratis.

#### VERSUS 6.

*Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam et timerunt valde.*

**1.** — S. Hieronymus hujus timoris et lapsus in faciem, sequentem reddit rationem: « Quia humana fragilitas conspectum majoris gloriæ ferre « non sustinet. »

**2.** — Optimum signum fuit, quod prout in faciem suam ceciderint, prout Albertus Magnus hisce verbis advertit: « Qui cadit in faciem, sciens « ubi cadit, prudenter cadit. *I Cor.*, xiv, 23: *Cadens « in faciem suam, adorabit Deum, pronuntians, quod « vere Deus in nobis sit;* et contra cadentes retrorsum, nesciunt ubi cadant et extra gradium « cadunt, » ubi Heil historiam ex *l. Reg.* iv, adducit.

**3.** — *Proverb.*, xxiv, 16, juxta Catenæ Græcæ lectionem dicitur: *Septies in die cadit justus et resurgit;* super quæ verba S. Bernardus ait: « *Septies in die cadit justus et septies resurgit,* inquit, « resurgit, si tamen cadat in die, ut se cadere « videat et eccidisse sciat. »

**4.** — Timorille discipulorum reverentialis fuit: *Accepti autem omnes timor et magnificentiam Deum.* *In Gen.*, xxviii, 17, de Jacobo Patriarcha, cœlum patulum vidente, dicitur: *Pavensque dixit: Quam terribilis est locus iste.* In Evangelio S. Joannis turba vocem de cœlo lapsam persentiscens, tonitruum se audivisse credidit; ubi S. Paschasius ait: « Quid est « quod ibi tonitruum audiens turba non cadat? hic « autem audita voce, discipuli in faciem cadunt; « nisi quia ibi superbia tumet, hic autem humilitas « pavet. » Lucas Brugensis timorem, ex nostræ mortalitatis debilitate profectum esse constat, dum ait: « Ea est enim nature nostræ infirmitas, ut « expavescat audita vox Dei, nec ferat sive oculis, « sive auribus majestatis illius presentiam quin « delectatur; quid est enim omnis caro, ut audiat « vocem Dei viventis? dicebant illi. *Deut.*, v, 26. »

*Audientes discipuli timerunt.*

**5.** — Ex quo enim jam ab ipsa mot divina Sapientia instructi fuerant, ut ipsam attentè deinceps aure auscultarent: « *Ipsam audite,* merito sancto hoc « timore correpti fuerunt; scriptum est enim: *Initium sapientiæ timor Domini.* » *Psal.* cx, 10.

**6.** — Bene, ubi de gloria visa agitur, simul etiam timoris fit mentio, quia, *Prov.*, xiv, 26, dicitur: *Timor Domini fons vitæ, quod apud Ecclesiasticum,*

1, 11, his verbis clarius dicitur: *Timor Domini sicut Paradisus benedictionis*. Et alibi: *Timor Domini gloria, et glorioso, et laetitia, corona exultationis*, ubi Cajetanus ait: « Est corona exultationis, quia reter nam meretur salutem et perducit ad eam; siquidem dem: *Beati omnes, qui timeant Dominum.* »

#### ADDITIO.

a. — *Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam et timerunt valde*. Filius Dei de quo Isaias, III, 7, dicit: *Quasi Agnus coram tondente se obmutescet*, a Joële Propheta, III, 16, tanquam leo in ipsamet Jerosolyma rugiens describitur: *Dominus de Sion rugiet et de Jerusalem dabit vocem suam*, quia in valle Josphat, sicut *parturiens loquitur*. Et Psalmista, Ps. cxviii, 13, affectuosis hisce verbis se Deo recommendabat: *Aspice in me et miserere mei*. Licet enim Rupertus Abbas obtutus Christi vocet, « fenestras salutis et patentes misericordiae januas; » attamen in illa die oculi Christi extenso superciliorum suorum arcu, fulmine evibrabant et sagittas: *Asperxit et dissolvit gentes et contriti sunt, montes sæculi, incurvati sunt colles mundi*. Habac., III, 6. Porro de voce ejus, Isaias, xxx, 27, inquit: *Ardens furor ejus; labii ejus repleta sunt indignatione et lingua ejus, quasi ignis decorans*. Tametsi Filius Dei in monte Thabor, jucunda facie et quasi jubilans conspiceretur; attamen tres illi Apostoli ibidem præsentés, mox ut vocem illam audierunt: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit; timerunt valde et ceciderunt in faciem suam*. Quod si igitur dilectissimi hi ejus discipuli, Magistrum suum in gloria positum audientes, vocemque æterni Patris benignissimam audientes, præ timore contremuerunt, quisnam pavore ille futurus est, quem impit ex tonitribus iracundæ vocis Christi iudicis sunt concepturi?

#### VERSUS 7.

*Et accessit Jesus et tetigit eos, dixitque eis: Surgite, nolite timere.*

1. — Lucas Brugensis ait: « Non solo sermone discipulos animat, sed et tactu confirmat, ut omnem discutiunt metum, ne forte spectrum suspicentur. »

2. — Dum nos, ut sepe accidit, in multa peccata labimur, Deus est, qui ad nos sublevandos et erigendos, divina nobis pietatis suæ manum porrigit. S. Job in sterquilinio a vertice capitis ad plantam pedum usque ulceratus sedens, afflictionem illam quendam manus Dei tactum appellavit: *Manus Domini tetigit me*, quia revera morbi, adversitates et ærumnæ, quas Deus nobis immittit, divinæ manus blandimenta sunt, quibuscum nos a peccato denuo erigere intendit: *Accessit et tetigit eos, dixitque eis, Surgite.*

3. — S. Paschasius, *lib. VIII in Matth.*, ait: « Porro quod accedit post tantam gloriam, clementia est, quod tangit, potentia reformatantis, ut ea manu recreentur ad fidem, quia creati erant ad vitam. »

4. — Porro Psalmista quidem nos ad approximandum Deo dulciter invitat, *Psal. xxxiii, 6*, dicens: *Accedite ad eum*, simulque hujus approximationis fructum exponit, dum protinus subdit: *Et illuminamini*. Longe tamen major estimandus est favor ille specialissimus, quo Deus non dignatur, dum ipsemet proxime ad nos accedit: *Et accessit Jesus et tetigit eos*; hanc autem specialissimam prærogativam et gratiam propriissime in sacratissima Eucharistia invenimus, in qua Deus non solum ad nos, sed et in nos venit, nosque tam dulciter amplexatur, ut unum idemque fiat nobiscum. *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo*. Joan., vi, 57.

#### VERSUS 8.

*Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Jesum.*

1. — Jansenius ait: « Circumspicientes viderunt Jesum, eumque solum, ut intelligerent vocem illam ad Jesum pertinere, non ad Moysen et Eliam; » hoc autem accidit, ut S. Anselmus advertit, post sublatam, quæ illis antea apparuerat, lucidam nubem: « Viderunt Jesum stantem ablata nube, et Moysen et Eliam evanuisse; » causa autem illius, quæ ab eodem Anselmo adducitur, hæc est: « Quia postquam legis et Prophetarum umbra discessit, quæ velamento suo Apostolos tegerat, verum lumen Evangelii reperitur. » Jansenius cum eodem fere concordat, dum ait: « Ut intelligeremus unum Jesum nobis satis superque esse, et postquam legis et Prophetarum umbra discessit, omnia in Evangelio reperiri. » Denique S. Thomas, in *Matth.*, ait: « Iste est effectus confortationis divinæ, quia a Christo confortati non vident, nisi Jesum, nec in ullo gaudent, vel confortantur, nisi in ipso. »

#### VERSUS 9.

*Et descenditibus illis de monte, præcepit eis Jesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurget.*

1. — Salvator transfigurationem suam, et consequenter se Filium Dei esse, nequaquam in vulgus divulgari volebat, ne populus sese adversus Scribas, Phariseos, Sacerdotes, cunctosque alios erigeret, ejusque Passionem impediret. Ita censet S. Remigius, vel etiam prout S. Joan. Damascenus existimat: « Hoc præcepit Dominus, sciens discipulos adhuc imperfectos, ne corda aliorum, qui

non viderent, subverterentur tristitia, et ne proditor invitaretur ad invidiæ rabiem. »

2. — Dionysius Cartusianus, in *Luc.*, alias rationes adducit. Dicit enim id factum esse: « Primo, ut doceret propriam perfectionem, excellentiamque; quam diu hic vivimus, occultare, nisi forte causa valde idonea requirat oppositum. »

« Secundo, ut personis devotis daret exemplum, non faciliter, nec sine rationabili causa revelationes suas manifestandis. Tertio, ne visus ista ob sui magnitudinem incredibilibus putaretur, et sic alii non credendo peccarent. Quarto, ne tempore Passionis gravius scandalizarentur, qui ante poterant edificari ex visionis hujus relatione. »

## FERIA SECUNDA POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM JOANNIS, CAP. VIII, VERS. 21

21. Ego vado et quæretis me, et in peccato vestro moriemini: quo ego vado, vos non potestis venire.

22. Dicebant ergo Judæi: Numquid interficiet semetipsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potestis venire.

23. Et dicebat eis: Vos de deorsum estis, ego de supernis sum, vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

24. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris; si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.

25. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit ei Jesus: Principium qui et loquor vobis.

26. Multa habeo de vobis loqui, et judicare; sed qui me misit, verax est, et ego quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.

27. Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.

28. Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, et a me ipso facio nihil.

29. Sed sicut docuit me Pater, hæc loquor, et qui me misit mecum est, et non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper.

#### VERSUS 21.

*Ego vado et quæretis me, et in peccato vestro moriemini; quo ego vado, vos non potestis venire.*

#### Ego vado.

1. — Nimirum mortem suam duobus hisce verbis prædicit. Unde Bonaventura, in *Joan.*, ita exponit: *Ego vado*, scilicet moriendo; dicit autem in presenti *Ego vado*, non vero, Ego vadam, quia de futuro tanquam de presenti loquitur, ut notat Interlinearis et Hugo Cardinalis, ut sit sensus: « In proximo est ut vadam; vel quia futura sunt ei quasi presentia, vel quia jam præsens erat mors ejus, quantum ad iniquas machinationes Phariseorum, quia jam conceperunt mortem ejus. »

2. — Observandum est autem quod mortem suam abitu seu profectioem appellet: *Ego vado*. Unde S. Augustinus, *tr. xxxviii in Joan.*, ait: « Christo Domino mors profectio fuit illuc, unde venerat et unde discesserat. » S. Thomas autem dicit: « Et unde non discesserat; » voluitque hoc loquendi modo, ut idem S. Doctor dicit, denotare

quod ultro citroque et ex propria voluntate sese morti exponeret: « Voluntarie moritur, scilicet vadens et non ab alio ductus. *Joan.*, xvi, 5: *Vado ad eum qui misit me*. Et infra, x, 18: *Nemo tollit a me animam meam, sed ego, etc.* » Cum qua expositione etiam Theophylactus consonat, dum ait: « Ut monstrat quod præsciat suam mortem, et ejusdem illorum virtutis opus sit crux, sed ejusdem voluntatis suæ. »

3. — Porro hæc incarnata Sapientia ipsamet in Proverbiis, viii, 31, de seipsa dicit: *Delicia mea esse cum filiis hominum*; quod si ita est, quomodo se nunc ab illis discedere, eosque relinquere velle declarat. Responderi potest idem quod idemmet Redemptor Apostolis ob viciniam Passionem suam moestis, *Joan.*, xvi, 7, dixit: *Expediit vobis ut ego vadam, si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos*; etenim hic ejus a nobis discessus seu abitus ad nostram redemptionem ordinabatur et ut corporalem suam in Ecclesia presentiam per perpetuam permanentiam tanto magis stabiliret, *Matth.*, xxviii, 20: *Eccce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*